

rimandis planetæ huius erroribus incumbere, illum ego mone-
rem, vt tempus illud rectius collocaret, & Tellurem, atque hanc
ambientem Lunam, ἐναργέστατον fidus, quarum illam pedibus, hanc
oculis proximè attingimus, hæc, inquam, sidera potius specule-
tur, quæque in eorum motibus inq; Ecclipsibus adhuc peccamus,
limet: tum demum operam ad Mercurium transferat. Interea si
venia digni sunt errores circa Telluris & Lunæ motus, multò ma-
gis id merebuntur errores in Mercurio, qui & remotior à nobis
est, & ferè semper sub Sole latet.

Atque hic rursus vt proire capite, coronidis loco epistolæ
partem ascribam, quam Mæstlinus ad me misit: idq; duabus de cau-
sis, prima, quia de re necessaria te monet; altera, quia caput hoc
passim confirmat. Sic ille.

*Tam mirabilis est Mercurius, vt parum abfuerit, quin etiam me fefel-
lisset. Nec mirum, quia etiam Copernico & Rheinholdo admodum molestum
fuisse, animaduerto. Copernicus hoc de seipso fatetur, Multis (inquit lib. 5.
cap. 30.) ambagibus & laboribus nos torfit hoc sidus, vt eius motus
scrutaremur. Vnde præterquam quòd nullas suas proprias recitat obseruatio-
nes in ☿ habitas, sed à Bernhardo VValtero Noribergico mutuatur: etiam in
apogæi ipsius loco statuendo, sibi non constat. Nam quem (cap. 26.) in primis
Antonini; annis, circa Annum Christi 140. iuxta Ptolemæi obseruationes, in-
uenit in 10. gr. ♄, & sub stellato orbe in 183. gr. 20. scr. à prima stella V: eundem
183. gr. 20. scr. (cap. 29.) reponit ad 21. annum Ptolemæi Philadelphi, perinde
ac si hoc ☿ apogæum intra 400. annos intermedios sub sphaera fixarum stellarum
immutum quieuisset; cum tamen (cap. 30. in fine) 63. annis per vnum gradum
motum fuisse ipsi videatur; addit autem: si modò equalis fuerit. Rheinholdum
in iisdem difficultatibus habuisse, calculus Prutenicarum tabularum prodit, quo
arguitur, Rheinholdum locum apogæi huius ad tempus illud Philadelphi assumpsisse
eundem quidem cum Copernico, vid: 183. gr. 20. scr. à prima stella V; At ad
Ptolemæi tempus illud in locum longè alienum à manifestis Ptolemæi obseruatio-
nibus & Copernici resumptionibus, cadit. Ibi enim locus eius computatur non
183. 20. nec 10. gr. ♄, sed 188. gr. 50. sc. sub orbe stellato, & 15. gr. 30. scr. ♄, Ideoq;
numeri illi mei ad Ptolemæi quidem seculum accommodati sunt, non autem, vt
ceteri per omnia calculo Tabularum Prutenicarum, sed Ptolemæi obseruatio-
nibus conueniunt, eas enim Copernicus quoque & retinuit, & sequutus est, atque
eosdem inde numeros produxit. Ad nostram autem, siue Copernici ætatem nu-
meros*

Hi numeri
sunt in Tabu-
la V. qua est
Cap. XV. ad
☿.